


Bellum Domini In Amalek : Disputatione Publica Ad Exod. XVII, v. VIII-XVI

Gedani: Typis Thomae Johannis Schreiberi, [1736?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870040804>

Druck Freier  Zugang







a.

30

Fa = 1092 (30.)





I. N. J.
**BELLUM DOMINI
IN AMALEK,**
DISPUTATIONE PUBLICA
AD
EXOD. XVII, v. VIII. -- XVI.
SUB PRAESIDIO
**ALBERTI MENONIS
VERPOORTENII,**

SS. THEOL. D. EJUSD. P. P. ATHENAEI NOSTRI RECTORIS,
AD SS. TRINIT. AED. PAST. ET H. T. REVER. MINIST.
I. A. C. PRO-SENIORIS,

IN AUDITORIO MAXIMO,
A. R. S. MDCCXXXVI. IV. CALEND. JULII
PUBLICO OPPONENTIUM EXAMINI PROPONEBAT
**FRIDERICUS GUILIELMUS
SARTORIUS, GED.**

AMPL. DICAST. OELHAF. ET BACKHUS. ALUMNUS.

GEDANI,
TYPIS THOMAE JOHANNIS SCHREIBERI, SENATUS ET
ATHENAEI TYPOGRAPHI.

AUGUSTAE
REI GEDANENSIS PUBLICAE
SENATUI,
ILLUSTRI
DOMINO
BURGGRAVIO
REGIO,
VIRIS
PER-MAGNIFICIS, MAGNIFICIS,
GENEROSIS MAXIMEQVE
STRENUIS,
DOMINIS
PRAESIDI,
PRAE-CONSULIBUS,
CONSULIBUS,
PATRIBUS PATRIAE
DE URBE NOSTRA
LONGE MERITISSIMIS.

SIMUL
PRAENOBILISSIMIS, ATQVE
CONSULTISSIMIS,
AMPLISSIMI
DICASTERII MEMBRIS,
DOMINIS
SENIORI,
CONSENIORI,
CETERISQVE
ASSESSORIBUS,
CUNCTIS DIGNITATUM GENERIBUS MAXIME
CONSPICUIS.
MAECENATIBUS,
PATRONIS
DOMINISQVE SUIS NUTRICIIS GRATIOSISSIMIS,
SUBMISSISSIMA MENTE
VENERANDIS, COLENDIS,
PUBLICUM HOC DISPUTATIONIS SPECIMEN
HUMILLIME OFFERT
RESPONDENS.

VIRI
ILLUSTRIS, PER-MAGNIFICI,
MAGNIFICI,
PRAENOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI,
MAECENATES, PATRONI,
PIETATE SUBMISSA, OMNIQUE CULTU DEVENERANDI,
PROSEQVENDI.

Tandem & publica VOS, MAECENATES
GRATIOSISSIMI, demisso vultu alloquen-
di subnata est occasio. Noluit ardor meus, qui de-
siderio gratissimam contestandi mentem flagrabat, diu-
tius contineri. Excitavit illum facies VESTRA serena,
quam saepius sine arbitris, si de auxilio quodam ad di-
scessum meum VOS humanissime compellarem, non sine
animi laetitia suspexi. Quum itaque studiorum meorum
ratio me jam ad exteras Musarum vocet fedes. jussit pie-
tas, jussit obsequium, quod beneficiorum exhibitorum cu-
mulo subjectissime debetur, & publicum gratitudinis meae
devinctissimae edere testimonium. Suscipite ergo, PATRO-
NI PER-MAGNIFICI, PRAENOBILISSI-
MIQUE, manu facili, fronte explicata, quicquid clientis
VESTRI offerunt conatus. Erunt illi leves, & tenuia
bucdum scientiae alicujus stamina. Sed Divina Ope per-
gam alacriter, ut, quod Gratia VESTRA insignis in me


collata exigit officii, pro viribus exsequar. Prosequimini modo me ulterius favore VESTRO eximio; ut & in me praeter innumera alia benignitatis VESTRAE, favorisque in Musas splendidissimi documentum cernant peregrini. Larga certe mihi semper erit copia, clementiam VESTRAM, facilemque inopes sublevandi operam, cultu demisso, menteque gratissima, quocunque terrarum loco praedicandi. Vota in primis ad DEUM fundam ardentissima; ut salute inconcussa rebus humanis publicisque Urbis nostrae pressae intersitis diutissime. Sic Gedano stabit fulcrum quo innitetur; Ecclesia habebit tutelam, quae ipsam proteget: Musae venerabuntur patrocinium, quo tutae quietem agent, osculaque figent manibus, quae egenis auxilia largissima subministrant. Immo & FAMILIAE VESTRAE PRAENOBILISSIMAE servabunt splendorem, quo plurimis civitatibus praefulgent. Valete, MAECENATES BENIGNISSIMI, & pergite favore VESTRO complecti, qui totus semper erit

ILLUSTRIUM NOMINUM
VESTRORUM,

Dabam

GEDANI, A. C. MD CCXXXVI.
XIV. CALEND. JULII.

cultor cliensque obsequiosissimus.
FRIDERICUS GUILIELMUS
SARTORIUS, Respond.



Q. D. B. V.



vum fata Israelitarum nostro & documento, & solatio divinitus descripta sint, eundem in finem ea, quae in solitudinibus Arabiae inter Israelitas nuperrime ex Aegyptiaca servitute coelesti beneficio liberatos, atque Amalekitas, contingere, paullo diligentius considerare animus est: ut nobis adhuc ad coelestem patriam per varias mundi difficultates

contendentibus fidei, spei, vigilantiae, alacritatisque adversus hostes nostros spirituales facem praeferant. Quod institutum DEus gratia sua fortunet.

Rei illius gestae ordinem *Divinus Scriptor Exod. XVII, Comm. VIII--XVI.* memoriae prodidit.

§. I.

AMALEK improvisus Israelitarum hostis, a plerisque omnibus, quos inspicere licuit, Interpretibus nomen populi habetur, ex Esavo per Eliphazum primo genitum, ejusque pellicem Thamnam Lotani Horraei filiam, descendens. Illius opinionis fundus

A

est

est *Genes. XXXVI, 12.* Quamvis igitur brachia contra torrentem, quod dicitur, tendere, non ausim temere; vereor tamen, ne communis ista opinio sola nominum convenientia nitens non satis explorata sit. Legimus enim Amalekitarum mentionem in bello fieri inter Chodorlahomorem Regem Elamitarum, sociosque, & Pentapoleos Asphaltiticæ Reges aetate Abraami gesto *Genes. XIV, 7.* Ab illis enim omnem regionem Amalekitarum una cum aliis adfatis ferro vastatam esse, dicitur. Quod suspicionem movet gentem Amalekitarum Esavo, ejusque nepote Amalecho antiquiorem esse; & celebritatem nominis, quo conditor gentis Amalek in illis regionibus gaudebat, Eliphazum ad nomen hoc filio suo imponendum boni ominis causa induxisse. Neque enim de nihilo est, quod Balaamus *Numer. XXIV, 20.* Amalek אֲמַלֵּק adpellat. Quod sive de ordine temporis sive dignitatis famaeque nobilis accipias in Amalekitas Edomi posteros vix satis quadrabit.* Nam multæ gentes antiquiores certe fuerunt Amaleko Idumaeo: & qui ceteris gentibus antecelluissent, isti ex Esavo nati, qui duodecima ferme gentis Idumaeae portio erant, & sub communi Idumaeorum nomine ejusdem regionis finibus ante ab Horraeis possessae, comprehendebantur? Diserte enim inter Principes Idumaeorum connumeratur אֲדֹמִי אֶלְוִי עֶמְלֵק Princeps & quidem in terra אֲרָוִן *Genes. XXXVI, 16.* Novimus quidem locum *Genes. XIV.* פְּסוֹלֶתְפַחֵס a plerisque accipi. Ita enim *R. Salomon:* שְׂרָה עֵרִין לֹא נוֹלַד עֶמְלֵק וְנִקְרָא עַל שֵׁם הָעֵתִיד: ex versione *Breithauptii:* *Tunc temporis Amalek nondum erat natus, ac vocatur ita (ager iste) nomine, quod futurum erat.* Ita communiter alii. Sed non audemus ad פְּסוֹלֶתְפַחֵס istam confugere, si via detur uti planiore. Accedit, ob stare quaedam, ne gentem hanc ad Esavum tanquam stirpem referamus. Certe Balaamus loco supra laudato Idumaeos & Amalekitas aperte distinguit *v. 18. & 20.* Praeter ea Amalek Esavi nepos in terra confedit Idumaea, cujus ne palmam quidem Israelitis DEus daturus erat.

Deuter.

Deuter. II, 5. Amalekitae vero exitio devoti, de quibus *b. l.* una cum gentibus ceteris execratis in ea terrae parte habitabant, quae Israelitis divinitus desponsa erat. Exploratores enim ex solitudine Paran in Cananaeam a Moſe miſſi, reduces narrabant, Amalekitas iſta in regione colere verſus meridiem. *Num. XIII, 30.* Unde & juncti Cananaeis prope Kades caedunt Iſraelitas contra DEI nutum in bellum progreſſos. *Numer. XIV, 43. & 45.* Eoſdem ab Eglone Moabitaram Rege in ſocietatem belli vocatos legimus. *Iud. III, 13.* Mox Midianitis & Arabibus ad Orientem poſitis conjuncti affligunt Iſraelitas. *Iud. VI, 3. & 33. VII, 12.* cum Idumaeis vero belli ſocietatem iniſſe, aut cum iisdem afflictos caeſosque eſſe, nuſquam legas. Quod ſi Amalekitae noſtri ad Elavi poſteros referendi eſſent, fuiſſent ſane excipiendi a privilegio Idumaeis DEI benignitate *Deut. XXIII, 7.* conceſſo. Neque alio demum loco *XXV, 17. 18. & 19.* ipſorum mandanda fuiſſet internecio. Neque eſt, quod putemus, Amalekitas mature a ceteris Idumaeis diſceſſionem feciſſe, aliasque inſediſſe terras: inde eſſe, quod ſemper ab iis commemorentur ſeparatim. Propius vero videtur, Principis Amalek inter Idumaeos nomen poſtea tranſiſſe in appellationem Principis Thamma *Genef. XXXVI, 40.* nomine Amalek inter Idumaeos aeqve ac Horraeos neglecto demum vel abjecto. Quod ſi TAARICH *Relandi* MSto ſua ſatis conſtaret auctoritas, facile alius dari poſſet extra Idumaeos gentis hujus conditor, Amalek a Chamo & Aramo descendens. *Vid. Relandus in Palaest. Lib. I. cap. 14. p. 81.* Sed nos fidem hujus Scriptoris non praestamus.

* CHALDAEUS reddidit: *Principium bellorum Iſrael Amalec; Et finis ejus erit, ut pereat aeternum.* Sed haec longius petita.

§. II. Sedes populi ad Auſtrum Cananaeae *Numer. XIII, 30.* ita, vt partem quandam regionis ab illo infeſſae videre poſſet Balaamus ex eo montis Phogor vertice, qui reſpiciebat ſolitudinem. *Numer. XXIII. 28. XXIV, 20.* ita, vt pertingerent ad loca vrbi Engaddi five Aſafonthamar propinqua. *Gen. XIV. 7.*

A 2

II. Pa

II. Paral. XX, 2. ab altera parte non longe abessent a Kades. Num. XIV, 43. 45. *Iosephus* de sedibus Amalekitarum agens turbat potius se ipsum aliosque, quam explicat. Nam *Orig. Iud. Lib. II. cap. 1.* Idumaeam ab Esavo ejusque posteris habitatam in duas partes dividit: ῥοβολίτην, quam reliqui Idumaei, & Ἀμαληίτην, quam Amalekitae tenuerint. *Sed Lib. III. cap. 2.* Amalekitas dici eos ait, qui ῥοβολίτην & πέτραν incolant. *Lib. VI, cap. 8.* iis regionem adtribuit a Pelusio Aegypti urbe usque ad mare rubrum sive Erythraeum. Sed praeter varia librorum Iosephi fata (quae *Emericum Bigotium* adduxerunt, ut duas *Orig.* editiones ab ipso Iosepho curatas, posteriorem quidem ab eodem varie auctam, in litteris ad Gronovium existimaret) videtur, Iosephum diversa finium Idumaeae descriptio pro temporum varietate turbasse. Nam aetate posteriori etiam bona pars terrae Iudaeae in nomen Idumaeae concessit. Urbem certe *Thekoam & Hebronem* intra fines Idumaeae aetate sua collocat *Iosephus* ipse *Bell. Iud. Lib. IV. cap. 30.* Unde *Silio Lib. III.* ipsa Iudaea Idume dicitur, ubi de *Vespasiano*:

Palmiferamque senex bello domitabit Idumen. De quo pluribus videas licet, *Lightfooti Decad. Chorograph. Marco praemiss. cap. 1.* Sed quae ex ultima aetate ad Mosaicam transferre non licebit.

§. III. Amalekitae igitur Israelitas modo ex Aegypti ergastulis egressos, & DEO duce per Arabiae solitudines in terram promissam contendentes subita irruptione terruerunt: turbatis ultimis ordinibus & infirmioribus, qui castra sequi non satis poterant, caesis aut interceptis. Militari enim ordine *Moses* populum Aegypti deduxerat. Unde illud כִּי־שָׁפַר *Exod. XIII, 18.* Celebris enim per Orientem numeratio fuit per quinarium: in primis in lustrando atque struendo exercitu. Inde *Aeschylo in Persis* ὀφθαλμὸς τοῦ βασιλέως dicitur πεμπασίης Dor. πεμπασίς q. ἀριθμητὴς κατὰ πέντε. Quem admodum *Homerus* ὁδ. δ' 412. *Menelaum* de *Proteo* Aegyptio narrantem inducit, quod phocas suas πεμπάσεται ἡγυῖν κατὰ

κατὰ πέντε δεκάμην. vt exponit *Scholias*, quem vulgo *Didymum* appellant. Unde *πεμπάζειν* dictum pro *δεκάμην* in genere, quam vocem a Philosophis ortam atque usui commendatam observat *Plutarchus de E Delphico*. Neque tamen haec provida Mosis cura vel hostium insidias, vel nonnullorum in agmine negligentiam aut infirmitatem in tanta multitudine satis cavere potuit: ne subita incursione turbarentur ordines ultimi, vel nonnulli interciperentur, & male perirent. Describit hoc facinus Amalekiticum Moses *Deut. XXV, 18*. Amalek Israelitis in via occurrisset*, & extremos agminis, qui lassii residebant, cecidisse, quando Israelitae erant fame & labore confecti. Nam potestatem verbi *יִצְנַב* ignorare nos non finit *Ios. X, 19*. Itaque nihil moramur nugae, quas ex *R. Ioel ben Sueb in Olat Sabat* repetit *Menasse Ben Israel in Conciliat. ad h. l.* Fama divisi maris rubri, terrore Israelis omnes nationes concussas fuisse, juxta verba Scripturae: *Tunc turbati sunt Duces Edumaeorum*. Adeo, ut nulla bellum cum populo sancto gerere ausa sit. Sed impium ac detestabilem Amalek filium Eliphaz, nepotem Esau, invidia benedictionis Isaaci, *Esto herus fratribus tuis*, gloriae huic officere voluisse: itaque in itinere Israelitas adortum, incitasseque alias nationes, vt exemplum suum sequerentur. Ideoque Scripturam iis verbis, *& commovit caudam in te omnibus infirmis post te*: significare, nationes mundi infirmas, & fractas animis, & jam subicere se Israelitis cupientes, a proposito destitisse. *Add. R. S. ad Deuter. l. c.*

* Hoc cursu factum incitatissimo Hebraei innuere videntur, quum Amalek vna nocte mille millia confecisset ajunt. v. *Buxtorf. L. T. p. 2354. Eisenmeng. T. I. p. 418.*

§. IV. Iustam DEI permissionem cladis hujus acceptae annotat *Baal Hattburim*: quod fide in DEum tot jam miraculis inter se conspicuum abjecissent, impia voce emissa: *Estne DEus in medio nostri, an non est?* Unde & loco nomen *וְאֵיךָ מִפָּה* *Exod. XVII, 7*. Id veteres Hebraei videntur in-

A 3

nuere,

nuere, quum dicunt concisos esse ab Amalekitis peccatores, quos nubes divina non protexisset. Vt legitur in *Ialkut*. Neque tamen scelere vacabat haec Amalekitarum invasio. Nihil enim ab Israelitis læsi, eos modo ex dura servitute divino beneficio miraculose ereptos, & in desertis Arabiae locis sine ullius noxa peregrinantes insidiosè & crudeliter invadebant, nulla in peregrinos caritate, nulla in debiles misericordia, nullo DEI patronum hujus populi ducemque profitentis, factisque adeo illustribus cogniti, timore. Quod expresse notat Moses *Deut. l. c.* Vnde & hanc injuriam non minus sibi quam populo illatam DEUS gravissime ultus est.

§. V. Moses in diem alterum populi defensionem, ultionemque hostium parat, selectis copiis Iosua Duce missis in expeditionem: quas etiam religiosa pietate floruisse dicendum esset, si certa esset Hebræorum regula: כלמקום שנאמר אנשים (absolute posita) צריקים הם vbicunqve vox אנשים (absolute posita) legitur, intelliguntur justii. Quam sequitur *Abarbanel*. Neque tamen negamus, & probitatis & fortitudinis verae ex sancta in DEUM sibi gratiosum fiducia pronatae rationem a Mose, Iosuaque habitam fuisse. Certe & hoc consilium non sine DEO autore suscepisse Mosen credimus: quippe quem *servi in tota domo sua fidelis* elogio maectat DEUS ipse *Num. XII, 7.* Unde & se in diem alterum in vertice collis praesto futurum cum baculo DEI, sacro ad tot miracula simbolo, Iosuae spondet. Videtur ejus rei vestigium in hac divina narratione exstare v. XI. quod Interpretes plerique omnes ad narrationem historicam referunt: quid, quum exercitus committerentur, factum sit: scilicet secundum elevationem aut demissionem manuum Mosis variasse proelii fortunam: ad illam Israelitis, ad hanc Amalekitis praevalentibus. Nos vero advertimus constructionem v. XI. aliam esse, quam v. X. & XII. ita, ut videatur oraculum potius divinum proponi Mofi redditum: fore, ut manibus Mosis elevatis Israelitas victoria, sed si ille manus elevare omiserit, Amalekitas sequatur. Neque enim dicitur: וַיְהִי כַּאֲשֶׁר הָרִים
זָבַר

גְּבֵר יִשְׂרָאֵל וְכַאֲשֶׁר הִנָּחֵם יְדוֹ גְּבֵר עַמְלֶק Sed contra est :
 וְהָיָה וְגוֹ Dices : Enallagen esse futuri pro praeterito frequen-
 tem. Sed tamen & nobis facile concedes, non esse ad Enallagas
 sine necessitate confugiendum, in primis, ubi eadem constru-
 ctio toto commate servatur. Alia enim ratio est, ubi adjun-
 guntur praeterita, & futurum additum ipsa sermonis serie sibi
 conformant, quod in plerisque exemplis a *Glassio in Grammat.*
Sacr. Lib. III. Tract. 3. can. 49. allatis observatur. *Danzii In-*
terpres §. 213. laudat nobis *Exod. XV, 6. & 7.* Ubi bini versus
 in futuro factum praeteritum describant. Verum, quid vetat,
 quemadmodum in praecedentibus virtutis divinae gloria in de-
 leto Pharaone celebratur, ita his verbis fiduciam erigi populi
 DEI ad praesentissimam DEI opem, contra quosvis hostes di-
 vine majestatis, quos confracturus, destructurus, flammaque
 irae suae ut stipulam consumpturus sit? Videtur quidem similis
 plane constructio esse *Gen. XXX, 41. & 42.* Et וְהָיָה cum se-
 quentibus verbis futuri temporis praeteritum designare, si qui-
 dem auctoritatem sequamur Interpretum. Verum aliud nobis &
 ibi videtur dicendum. Nam, quod ibi de facto Iacobi com-
 memoratur, non injusta fraus fuit, neque solertia mere naturalis,
 sed (ut ipse docet Patriarcha cap. XXXI, 10. seqq.) via divini-
 tus ostensa compensandis Iacobi curis & laboribus, contra avari
 Labanis iniquitatem. Itaque ea videtur esse verborum Mo-
 sis sententia v. 41. *Nam futurum erat* (singulari consilio, jussuque
 divino postea explicato) ut, *quum incalescerent ad coeundum oves*
compactae, Iacobus (per angelum admonitus) *positurus esset ba-*
culos decorticatos ante oculos gregis in canalibus, ut conciperent
apud baculos. v. 42. *In altera autem & sera ovium admissura*
non erat positurus: atque ita futurum erat, ut serotinae & de-
biliores oves Labani, firmiores Iacobo obvenirent. Inspice, si ve-
 lis, *Francisci Wockenii libr. de Enallagis Hebraei textus.*

§. VI. Praestructa igitur mandati divini, gratiosique pro-
 missi fide, facilius erit explicatio ejus argumenti; quid sit, quod
 baculum DEI Moses sumere, manusque ad coelum tollere de-
 buerit?

buerit? Neque enim vel citra haec symbola DEus Mosis preces exaudire, victoriamque in hostes populo donare non potuit; neque ullo modo superstitionem eorum voluit augere, qui symbolis a DEO aliquando ad res ingentes adhibitis vnice intenti DEum ipsum vera fiducia complecti negligunt: sed inerat in ejusmodi casibus libertatis, sapientiaeque divinae declaratio, non uno modo agentis, sed interdum ea, quae rem circumstant, accurate determinantis. Inest obedientiae humanae & fiduciae in DEum experimentum, an homo jussis divinis simpliciter attendere, neque tamen in res sensibus subjectas ad hoc opus divino nutu simul adhibendas, sed in ipsum DEUM spem, fiduciamque animi collocare noverit. Quamquam in ejusmodi casibus divino munere accedere etiam solet quaedam infirmitatis nostrae confirmatio, fideique fulcimentum. Certe viro DEI Mosis eam praesto fuisse credibile est: cui ipse hic baculus, manusque versus coelum elevatae in memoriam revocare potuerint tot miranda DEI opera, hoc baculi symbolo nutu DEI *Exod. IV, 17.* perfecta; tot exempla precum suarum jam ante exauditarum *cap. V, 22. &c. VIII, 8. seqq. 30. IX, 28. X, 17. XIV, 15.* Simile exemplum occurrit *II. Reg. XIII, 18. seqq.* vbi ad numerum ictuum solo infligendorum victorias Regi Ioaso in Syros promitti legimus, non, ac si ab ictibus eorumque numero penderet victoria, sed, vt hoc symbolo praemonstraret DEUS, quid ex occultis providentiae suae decretis hac de re vati Elifaeo, & per eum Regi vellet ostendere. Nimirum praemonitus erat arcano DEI nutu Elifaeus: quot vicibus Rex solum esset percussurus, tot eum reportaturum de Syris insignes victorias; certum vero numerum non cognoverat. Quum Rex post ictum tertium cessaret, Elifaeus ignaviam vel negligentiam indignabundus reprehendit, submisit tamen veneratur DEI consilium, nunc certo symbo indicatum, eventuque comprobandum. Nam decus plenae deletionis Syrorum Ioaso non satis integra mente DEUM colenti non erat destinatum: sed reservabatur alii flagello DEI per everfam Syriam ad affligendos Israelitas & Iudaeos

daeos DEO adversos ingratosque sibi & successoribus gradum fruendi, nempe Regi Assyrio. Pariter Elifaeo Spiritus Eliani duplum stipulanti Elias hanc conditionem fert, si miraculosum ipsius discessum coram sit oculis usurpaturus. II. Reg. II, 9. & 10. Quae cum eventibus, non vlllo nexu naturali, sed liberrimo DEI beneplacito, pro regulis infinitae sapientiae, junguntur.

§. VII. IOANNES GODOFREDUS LACKEMACHERUS (quem Academiae Iuliae bonisque litteris praemature fato ereptum esse, dolemus) " *Part. IV, Observat. 1.* baculum " instar vexilli a Mose erectum esse elata manu putat, ut imperio suo confictum ex parte Israelitarum moderaretur, partim " verbis, partim signo ipso modo huc modo illuc inclinato, pro " indicio vel concursus faciendi, vel receptus: Aaronem vero " & Churem Miriamae maritum ea propter adscitos, ut mandata ipsius ad Iosuum reliquumque exercitum, sicubi opus esset, perferrent. Hic igitur praelio commisso accidisse, ut dum manum Moses adtolleret, h. e. vexillum seu baculum suum erectum teneret, & mandata daret, superiores essent Israelitae; dum vero demitteret, atque ita cessare ab imperio videretur. ut Amalekitis cederent. Neque enim manuum illam sublationem ad preces spectare, quarum nec ulla injiciatur diserta mentio, neque satis digne ac decenter de summa Numinis bonitate sentire videatur, qui statuerit, Deum ad gestum precantis potius, quam ad animum precesque ipsas respexisse: usitatam vero esse in sacris litteris de militibus congregandis & in expeditionem ducendis loquendi formulam *נתן נס. הרים נס. נשא יד* imo *נשא יד* signum dare, seu ponere, elevare, attollere, manum tollere, *Pf. LX, 6. Jerem. IV, 6. Esa. XLIX, 22.* ita, ut Deus etiam tanquam Dux exercitus repraesentatus manum signumque dicatur in altum tollere *Esa. V, 25. & 26. XI, 11. & 12. Ezech. XX, 5.* Eodem refert ille loca, quibus Israelitae ex Aegypto egressi dicuntur, manu alta, extensa, brachio exserto. Item, quum rebelles adversus Principem legitimum manum dicuntur tollere.

B

§. VIII.

§. VIII. Ingeniosam esse conjecturam, & speciose, eruditeque ornatam, fatemur sane; pedibus tamen in eandem sententiam ire nondum possumus. *Primum* enim multa ex ingenio ponuntur, quorum in narratione Mosaica vestigium vix apparet. *"Mosen extra aciem positum in collem ascendisse, ut signum erigeret militare, & imperio simul regeret Israelitarum exercitum, atque ita summi Imperatoris partes in conflictu illo adimpleret; nec proditur ab Historico divino, nec admodum credibile videtur. Ut enim taceamus, incertum esse, colliſne, in quem ascendit Moses, ante castra, an vero intra tentorium ambitum situs fuerit? illud liquet; Ducis munere in hoc conflictu Iosua non Mosen esse functum, cui itidem non Mofi parta victoria adscribitur. V. XIII. Nec satis apparet, qui Imperatoris partes Moses in colle positus exsequi potuerit? Conflictus exercituum ea aetate magis tumultuarios, quam accurate structis ordinibus ex lege & disciplina militari, postea demum diligentius exulta, initos fuisse, probabile est: quo in tumultu Imperatorem extra aciem positum inter clamores proeliantium satis exaudire, ejusque nutum huc illuc agitato baculo in tanta pulveris in arenosa solitudine surgentis nube, distinctius cognoscere vix datur. Tum vero gratis sumitur: "Aaronem & Churem ea propter comites a Mose adscitos esse, ut mandata ipsius ad Iosua reliquumque exercitum, sicubi opus esset, perferrent; hanc ad rem juvenes potius pedum velocitate insignes legisset, quam viros in senium vergentes. Secundo "in bello & proelio & apud Hebraeos & apud gentes alias signum aliquod versatum esse, universo conspicuum exercitui, certum est: neque intercedimus, quo minus "hoc proprio vocabulo מִטְּחָה appellatum dicatur ex pertica constans praelonga, cujus parti summae velum esset appensum, unde & de pertica & de velo synecdochice adhibeatur. Verum, Moses utitur voce מִטְּחָה non illa nec veri simile est, baculum Mosis, quem DEI jussu ad edenda miracula gerebat, praelongam perticam fuisse. Nam eo faepius*

pius usus est, quum Pharaonem adiret, non tantum sub dio, sed in aula etiam atque palatio. Nec usquam extraordinariae longitudinis prae aliis baculis indicium apparet.

§. IX. Neque vero, quae de usu signi & vexilli in bellis proeliisque annotat, huc faciunt, "tollere, inquit, illud solebant Hebraei, ut milites ad illud confluerent, & illud sequerentur. Idque recte probat ex Ps. LX, 6. Ierem. IV, 6. Esa. XLIX, 22. Addit ex Iac. Lydio: signum elevatum esse ad militem legendum, exercitumque colligendum & convocandum: & ad militem collectum continendum, ne dispergeretur temere, sed vexillum intuens ordinem ac stationem servaret: aut de futuro mox proelio moneretur, aut proelium ineundum esse sciret. Verum haec omnia ad hanc narrationem vix quadrant. Neque enim Moses cum baculo in collem progressus est, ut ad illum lectae Israelitarum cohortes confluerent, & sub hoc vexillo proelium inirent: sed ut propius abesset ipse apugnantibus extra collem. Neque signum ad ineundum proelium ipse proponebat Imperator, sed signiferum proponere iubebat. Ille vero locus ex Ezech. XX, 5. productus §. 3. non tam de manu vexillo instructa, quam de jure jurando divino Israelitis in Aegypto afflictis per internuncium Mosen dato videtur intelligendus. Alluditur enim ad Exod. VI, 2. quem post varias Interpretum sententias Hillerus in Onomast. sacro. p. 250. ita *עֲלֵי עֲשָׂה*: "Ego sum Iehova, i. e. ut sum Iehova: heic quidem tollit manum suam se- mini Iacobi, vid. Ezech. XX, 5. q. d. per me supremum Nomen iuro. Apparueram quidem Abrahamo, Isaaco & Iacobo, in EL SCHADDAI, id est, coram praelens majoribus vestris edidi nomen meum, nomen Primi, i. e. ejus, qui fons & origo rerum omnium: Iuraveram Abrahamo: ut sum *El Schaddaj!* Gen. XVII, 3. iuraveram eidem: אֲנִי Ani! ut SUM! ponitur enim vox ea, non pro eo, quod latine dicimus, quantum ad me adtinet, sed pro אֲנִי ut sum Iehova. *So war ich bin!* so wahr ich der Herr bin! ut sum! foedus in eo tecum, ut tu multitudinis gentium Pater evadas. v. IV. Jura-

" mentum illud, quod juravi Abrahamo patri tuo. *Gen. XXVI, 3.*
 " Juraveram Iacobo: ut sum Iehova, DEus Abrahami patris
 " tui. &c. *Gen. XXVIII, 13.* At nomine meo Iehova in jura-
 " mentum assumpto, nondum innotui ILLIS, quos oneribus
 " Aegyptiis levabo, Israelitis. Itaque etiam, prout interposito
 " jure jurando stabiliveram foedus cum Abrahamo, cum Isaa-
 " co, & cum Iacobo, me daturum illis, Israelitis, eorum po-
 " steris, Cananaeam, qua in terra peregrini commorabantur
 " *Patres*: ita idem ego audivi quærimonia Israelitarum, quos
 " Aegyptii servire cogunt, & recordabor foederis mei. Qua-
 " propter hoc a me Israelitis renunciato: *Vt sum Iehova!* qui
 " Patribus vestris innotuit, ita subducam vos Aegyptiorum on-
 " eribus, & asciscens vos mihi in populum DEus vobis futurus
 " sum. *Haec Hillerus.* Ad eundem jurandi ritum manus dextrae
 " extensae figuram in signorum quorundam summitate, testibus
 " monumentis nummisque, obviam referre malim quam ad alia,
 " de quibus *Lackemacherus §. 5.* Antiquissimus enim ritus sublata
 " dextra jurandi. Vnde Virgil. *Aeneid. XII.*

Sic prior Aeneas, sequitur sic deinde Latinus

Suspiciens coelum, tenditque ad sidera dextram.

Ceterum extensa manu mandatum & imperium etiam extra
 bellum indicari non negamus, quod tamen non ex ritu arbitra-
 rie introducto, sed ex motu corporis naturali fluit, qui sequi-
 tur fere animum commotiorem. Illud vero, quod de Israelitis
Exod. VI, 6. & alibi dicitur, *ereptos esse ex servitute Aegyptiaca*
manu alta, extensa, forti non tam notione imperii, quam po-
 tentiae divinae hoc in opere in facie orbis terrarum se gloriose
 patefacientis: alterum, quum de rebellibus dicitur, *manum*
eos adversus legitimum Principem sustulisse, non tam de impe-
 rio in turba seditiosa sibi sumto, quam ex gestu iratorum aut
 ferocium invadentium aliquem, sublataque manu ei vulnera pla-
 gasque intentantium explicuero.

§. X. Restat ille scrupulus breviter removendus, quem
 injicit *Vir Eruditus §. 7.* de Mose ab omni superstitionis opi-
 nione

nione remoto. " *Precum caussa*, inquit, *in collem se contulisse si dicamus, vereor, ne tacite illam tribuamus opinionem, quasi e sublimi tanquam e propinquo citius quam ex loco humili preces a DEO exaudirentur. Quod persuasum olim nonnullis fuisse gentibus passim testantur monumenta Veterum. Ab ea vero superstitione quis liberum non pronuntiabit Mosen, saniora omnia de divinitate sentientem!* Enimvero, vnius rei plures posse esse caussas tralatitium est. Legerint gentes a vera DEI cognitione remotae ad sacra precesque montes superstitione: quid vetat a piis adiri montes religiose precum caussa! Neque enim superstitionis DEus autor voluit esse Abraamo, quum filium in monte Morija, non in campestribus locis, sibi in victimam offerri juberet; neque quum locum publicorum conventuum Silunte, aut Hierosolymis in Morija monte, sibi sacrum legeret; neque Christus ipse, quem aliquoties in montem ascendisse ad preces fundendas scimus, *Matth. XIV, 23. Marc. VI, 46. Luc. VI, 12.* Quidni ergo & Mosis licuerit, in collem se conferre precum caussa? praesertim, quum ipse conspectus exercituum acriter pugnantium ad preces ardentiores tanto in discrimine populi fundendas inflammare posset: Mosis vero in vicinia orantis conspectus & precum exauditarum recordatio populum ad firmiorem in DEUM fiduciam fortitudinemque hosti opponendam excitare.

§. XI. Itaque dudum *R. Aben Ezra* ab iis, qui elevatas Mosis manus de vexilli elevatione intellexerant, discessionem fecit: addens, ita, manibus Mosis pondere lassatis, non opus fuisse earum operosa sustentatione, quum baculum instar vexilli Aaron aut Chur nutu Mosis tollere, vel etiam excelsi loco statuere potuerint, unde ab omnibus conspiceretur. Se itaque, ait, veterum approbare sententiam, quae manus Mosis eo die in precando extensas fuisse, pronuntiat. *Vid. Paraphrasis Chaldaea ad v. XII.* Neque verba divinae narrationis abludunt. Nam manus tollere inter precandum, & omnium ferme gentium mos fuit, & DEus ipse jubet *Thren. III, 41. Ps. CXXXIV, 2. Adde I. Timoth. II, 8.*

B 3

§. XII.

§. XII. Quum igitur in fatis esset (liceat enim ita sed sensu Christiano loqui, quo fatum dicitur, quod de unoquoque nostrum DEUS fatus est, ut ait *Octavius Minutii Felicis*) ut Moſe manus elevante in precando Israel praevaleret, sin demissa manu quietus spectaret proeliantes, Amalekitis cessura esset victoria; non tantum Moſes sublatis manibus enixe DEUM pro salute victoriaeque populi est deprecatus, sed etiam manibus Moſis pondere lassatis ac depresso lapidem admoverunt, cui Vir DEI infideret; Aaron autem & Chur ab utroque latere manus ejus suis manibus fulserunt: atque ita idem positus orantis fuit, usque ad occasum solis. Non praetereundus hic est insignis locus, quem de praestantia & virtute fidei *Abarbenel* ex libro *Mechilta* ad mentem veterum repetit ad *Hof. II, 22.* "eam esse fidei perfectionem, ut fundamentum sit ceterarum perfectionum omnium. Et post alia ait: "eodem spectare illud *Exod. XVII, 12.* Aaron vero & Chur sustentarunt manus ejus, ET FUERUNT MANUS EIUS FIDES: commemorantes memora[m]ta Patrum. וכן הוא אומר 'ואהרון וחור תמכו בידו יהיה ידיו אמונה' מזכירין זכות אבות: Altius haec ducunt, quam plerique Interpretes. Et sane inest in hac loquendi formula aliquid singulare. Nam אמונה fides pro concreto נאמנים ferme insolitum est. Quod si consuetam fidei notionem retineamus, elegantissimus sensus prodit, & amuletum omnis superstitionis incertis ceremoniis signisque exterioribus divinam quandam efficaciam citra DEI promissum quaerentis. Sane firmum esse debet, re vera haec ita, prout narrantur, gesta esse: Moſis brachia manibus sociorum Duum-Virorum esse sustentatas; manus ejus ad coelum erectas permanisse usque ad occasum Solis. Neque tamen improbabile est, neutrum mutum in hoc actu precumque exortem fuisse; sed vota suppliciaque sua adjunxisse Moſaicis, & sibi invicem tum promissa divina facta patribus, tum mirandam DEI opem in Aegypto atque hac solitudine huc usque mirifice praestitam in memoriam revocasse. Quae, quoniam ad augendam veram animi fiduciam, ardo-

ardoremque in precatione plurimum contulerint adjumenti, non est dubitandum. Itaque Moses haec describens provide monere simul populum potuit, salutarem eventum hunc non manibus suis, nudaeque illarum erectioni, sed fidei esse adscribendum: quae in divina promissa populo huic, ex quo IMMANUEL oriturus esset, ejusque majoribus facta oculo irretorto intuens cetera quoque salutis praelidia a DEO expetat & consequatur. ABEN EZRA, " *ultra vires hominis esse*, ait, *per aliquot horas manus extensas habere sine intervallo, multo minus per totam diem*. Opis ergo divinae fuerit, & elevandis manibus, & orationi ardenti ad DEUM per integrum diem suffecisse Mosén, per fidem impetratae: cui & ipsa de Amalekitis victoria debetur. Ut plane appareat illud quod exstat *Hebr. XI, 34. Veteres per fidem fortes evasisse in bello, per fidem castra everitisse hostium*. Pertinet huc, quod MISCHNICI *Traët. Rosch Haschana cap. 3. §. 8.* quaerunt: *an manus Mosi erant causa victoriae nec ne?* & respondent: " *Scripturam docere, quod toto tempore, quo Israelitae respiciebant coelum, ac serviebant sincero corde Patri coelesti praevalabant; sin minus, cadebant*. Nam & haec sententia verba haec extra seriem narrationis historicae ponit, generaliusque interpretatur, quod, nisi voce *וְהָיָה* in sensu futuri temporis accepta, fieri vix potest. *Iustinus Martyr Dial. cum Tryphone* ait: " *Mosén vota DEO fecisse expansis ambabus manibus, figuram imitatum crucis; quod si labaret haec figura crucem imitans, mox vincebatur populus: si in eodem permaneret statu, Amalek vincebatur, cruce vires addente victoribus*. Non enim propter preces Mosi superior evadebat populus, sed quia nomen IESUS versabatur in prima acie, & Vates signum crucis repraesentabat. Sed pollicem hic Iustino premere non possumus. Neque enim expansis sed elevatis manibus Moses DEUM precatus esse legitur: פָּרַשׁ אֶת יָדָיו non פָּרַשׁ

§. XIII. Eventus proelii fuit Israelitarum de Amalekitis victoria. Videri prima fronte possit, minus plenam fuisse victoriam; quum Moses *debilitandi* verbo utatur, non *internecionis* aut

aut deletionis. Unde Abarbeneli in mentem venit: "forsan
"peccata Israelitarum obstitisse, ne ingens fieret hostium caedes,
"sed multi tantum acceptis vulneribus bello inutiles evaderent.
Quamquam ne in hac quidem sententia satis acquiescat. Sed no-
tum est, in narrationibus quaedam lenioribus verbis exprimi,
& quasi mitigari; re tamen ipsa non mutata. Neque plane de
nihilo est, illud, quod Abarbenel observat: verba לְפִי-הָרֹבֵב sem-
per alias de caede hostium dici. Atque tanto illustrior haec vide-
tur esse victoria, quod Amalekitae plures ex aliis gentibus ad
tentandam proelii fortunam adduxisse videntur. Neque enim
frustra praeter Amalek populi quoque ejus sive collectorum ab
ipso aliorum multitudinis mentio injicitur.

§. XIV. Sequuta sunt א) memoria rei hujus gestae &
scripto, & vivae vocis oraculo mandato divino conservata.
ב) Decretum DEI in Amalekitas poenale. ג) Exstructio altaris
addito oraculo divino singulari. Ultimum hoc momentum
amplius considerandum. Nam & falce critica ejus tentata est
Lectio, & de sensu vero interpretes minime consentiunt.

§. XV. Audax correctio & conjectura Scaligeri Lib. III.
de emendat. Temp. quando legit יָרַע עַל-כִּסֵּיהָ quod fit ἡγήγη ὑπερ-
της ἰεργυνίας, quia tricesima mensis die Amalek fuerit devictus.
Neque enim vlla corrupti textus est suspicio; neque vox כִּסֵּיהָ
vltata alibi: nec ipsa loquendi formula hoc patitur, vt *Glass.*
Rbetor. S. Tract. I. cap. 7. bene monuit. Refellit eandem ex ipsa
observatione Masoretica Hackspanius in *Tr. de Scriptorum*
Judaicorum in Theologia usu. cap. 2. pag. 324. Alia via textum
sollicitat Castellio, qui in *Annotatis Biblicis* כִּסֵּי in כָּסִי mutat,
hoc sensu: quia Iovae manus signo admota est; vt nominis arae,
quam יהוה כָּסִי vocavit, reddatur ratio. Verum in his verbis
rationem illius denominationis reddi, sumitur a Castellione, non
probat. Nam plerumque rationes ejusmodi nuncupationum
eodem junguntur commate. vid. *Gen. IV, 1. & 25. V, 29. X, 25. XI, 9.*
XVI, 13. & saepius alibi. Incidit tamen in eandem conjecturam
Iob. Clericus Comment. ad h. l. Sed quam ne ipse quidem pro-
certa

certa audet affirmare. Nam nec Samaritanum codicem, nec quemquam veterum interpretum sibi suffragari fatetur. Quod si igitur nec in ceteris scriptoribus confians priscorum codicum lectio temere sollicitanda est; (quod *Lipsius in Satyra Menippea* lege Apollinea sancitum ingeniose ludit: *si quis e libris bonis fidisque correxerit, laudi semper esse: si quis ex conjecturis, noxae: nisi eae clarae, liquidae, certaeque sint*) multo minus in libris a Spiritu DEI consecratis licebit. Nec sufficit, *ita sensum esse apertum, nec inelegantem allusionem*; nam hoc tum demum valuerit, si ita scripserit Moses. Ut taceam ab aliis hanc seiscisci legem: lectionem difficiliorem ceteris paribus prae altera retinendam videri, quod facilius ex correctorum vel Scholiastarum manu esse possit.

§. XVI. Reliqui interpretes inter se variant, prout *manum vel de manu Amaleki, vel DEI, vel Mosis accipiunt. Primi sensum faciunt istum: quia manus Amalekitarum excitato bello contra solium DEI sublata fuit, ideo bellum Iehovae in Amalekitas erit in omne aevum.* Ita Tremellius, Piscator, Lackemacherus, alii: cui verò obstat, quod non legitur ידו vel ידם. Nec favet accentuatio, observante Varenio, & contra Marckium vindicante Starckio in *Notis select.* Possimus etiam in ista sententia desiderare הריהו vel נשא, nisi excusare liceret per apophepelin. Altera sententia vel *jusjurandum quasi tacto solio, vel certe cominationem manu solium pulsante, aut a sedente in solio extensa innui defendit: quae & Targumistarum, Pfeifferi in Dub. Vex. aliorumque est.* Sed quam citra vocum trajectionem atque ellipsin vix locum habere annotavit Starckius l. c. Nos addimus, ritum istum jurandi manu solio imposita nondum videri ex antiquis monumentis satis demonstratum. Tertiae accedit Starckius post Varenium hoc sensu: *quum manus mea esset extensa versus thronum Domini, (i. e. coelum) bellum erat Domino Iehovae contra Amalek: idque erit deinceps a generatione in generationem: usque dum plane deleatur sub coelo memoria Amaleki.* Pfeiffero tamen & hic omisso suffixi, & inter-

terpretatio particulae על per הך durior videtur. Quantum ad rem ipsam adinet, a prima non procul abit Zeltner in Annotat. ad Bibl. Altorf. ad h. l. voce יי pro turma vel copiis accepta: "dieweil der hauffe (der Amalekiter, die Israel angefallen) wieder den Thron Gottes sich aufgelehnet, so soll der Krieg wieder der Amalek auf Kind und Kindes Kind fortgesetzt werden. Deut. XXV, 19. &c. Verum illa potestas vocis nondum satis certa est, nec accentus addiunt. Jekuthiel reddidit: "es ist ein Mahlzeichen auf dem Stuhl Gottes: dasz er will streiten wieder Amalek von Geburt: bisz zu Geburt. Verum יי etiam monumentum designare, nondum satis probatum est. Nam II. Sam. XVIII, 18. יי non columna sed locus ipse est. Vid. Clericus ad eum locum, itemque Salomo Ben Melech ad eundem, & ad Deuter. XXIII, 13.

NOTA. Alias quasdam Judaeorum expositiones laudat Abendana in Additionibus ad h. l. Quosdam habere, pro divino promisso: quia manus Domini semper vobiscum erit in bello contra Amalekitas, vobisque auxilium feret; intelligitis: ab ipso DEI throno in Amalek pugnari. Alios ita exponere: quam Regem habebunt Israelitae, cui potestas & nomen sit in throno DEI, bellum erit Jehovae in Amalekitas; quod impletum fuerit a Rege Saulo. Addi vero, per omnes generationes, quia omnium Regum Israelitarum fuerit pugnare in Amalekitas, donec plane delerentur. Quam in sententiam disputat Mose Ben Nachman ad h. l. & Abarbenel ad Deut. XVII, 14. seqq.

§. XVII. Nobis in ista expositione acquiescendum videtur, quae & seriei totius narrationis, & significationi vocum usitatae legibusque distinctionum maxime conveniat; & difficultates ceteris interpretationibus objectas vitet: & ad fidei analogiam collata, majestate DEI, ubertateque Scripturarum prae ceteris digna videatur. Ad quam investigandam DEO juvante hac via connitemur. Quum manibus Mosis pro populo deprecantis, tanquam symbolo divinitus electo, victoria Israelitarum conjuncta esse debuerit; credibile fit, commemoratione manus יי ad superiora respici: sic tamen, ut a Mose, sequestro ac deprecatore ordinis inferioris, animus fidelium ad majora subli-

sublimioraque elevetur. Ita habemus *manum* neque hostis, neque Mosis, neque DEI simpliciter in hostes pugnantis aut jurantis: sed Dei *μεσις*, quae est super כְּסֵה deprecatrix, defensatrix, adiutrix populi DEI, impugnatrice, victrix, atque interfecitrix hostium DEI.

§. XVIII. Sed quid est כְּסֵה? Magno consensu reddunt *thronum DEI*, qui alias כְּסֵה יְהוָה; quas voces h. l. *defective* scribi, omissis אהו Hebraei volunt: ut indicaretur, ipsius divinae gloriae interesse, ut excidium devotae hujus gentis statim tempore perficiatur: istoque supplicio exacto splendorem nominis divini pleno veluti jubare refulsurum. Quam in rem comparari jubent cum h. l. *Pf. IX, 7. & 8.* Ubi volunt justitiam divinam internecione Amalekitarum illustratam celebrari, atque deinde nomen יְהוָה integrum, & folium ejus undique perfectum laudari. *Vid. R. S. ad Exod. XVII, 16.* Adde quae ex *Falkut Schimóni, Pesikta rabbetha & Mosche de Mircado* itemque *Rabbi Bechai* excerptis *Eisenmenger Part. I. cap. 16. des entdeckten Judenthums p. 655. seqq. & 658. seq.* Nonne autem satius fuerit inter כְּסֵה & כְּסֵה distinguere, & כְּסֵה reddere *adytum, arcanum, & quasi aulam Regis interiorem*, in qua thronus Regum Orientalium collocari, sternique solebat, remotus a conspectu vulgi, & solis conspicuus ministris intimae admissionis? *vid. Esth. V. 1.* Et quae *Xenophon* habet *Cyripaediae Lib. VIII.* Ducit huc *Graeca Versio τὸν LXX. ἐν ἁγίῃ νεφέλῃ.* Quin ipsa vox כְּסֵה, quum etiam ultima ה scribatur, *I. Reg. X, 19. & Job. XXVI, 9.* cognationem cum כְּסֵה habere videtur, cui *tegenderi, operiendi*, notio propria est. Unde hanc כְּסֵה folii appellationem recte ducas, quod & locaretur in parte regiae interiori, & aulaeis ac peristromatibus ornaretur. Adde *II. Reg. IX, 13.* Quemadmodum & כְּסֵה & כְּסֵה *Proverb. VII, 20. & Pf. LXXXI, 4.* non male accipi videtur de *luna latente* sive novi-lunio mensis Tisri, qui dies primus erat anni civilis, & initium laxatae servitutis in Aegypto, inter exempla irae DEI in Aegyptios edita, attulerat. Quem in sensum *Pf. LXXXI* cum *Kimchio* exponit Sa-

homo Ben Melech in Michlal Jophi: quem etiam in anni hoc
 initio Iudaei recitabant. Ita $\text{מִיִּשְׁלַל יוֹפִי}$ fuerit coelum majestatis di-
 vine, ubi DEUS gloriose regnat, inconspicuum oculis morta-
 lium: ubi in folio Patris deprecator quoque suorum & defen-
 sor confidet Filius DEI, cui Pater omne dedit iudicium ad fide-
 lium tutelam, hostiumque everfionem exercendum. Referas
 huc, licet, *Vifa Apocalyptica*, quibus agnus in medio throni di-
 vini repraesentatur; decreta DEI in salutem Ecclesiae, hosti-
 umque ultionem, resignans atque exsequens. *Cap. V, 6. seqq.*
VII, 9. seqq. & 17. XXII, 3. Neque enim veremur, haec ad Fi-
 lium DEI, pacis nostrae apud DEum pararium & sequestrum
 referre, quem alibi quoque *brachium DEI* appellari memini-
 mus. Illustria hanc in rem loca sunt *Esa. LI, 9. LII, 10. LIII, 1.*
 Novimus quidem *Vitringam* ad *Esa. LI.* a recepta multorum
 Interpretum sententia discedere, & per *brachium DEI* non
 Christum, $\delta\upsilon\nu\alpha\mu\upsilon\nu\ \tau\acute{\alpha}\ \theta\epsilon\omicron\upsilon$ *I. Cor. I, 24.* sed potentiam divinam
 in genere malle intelligi. Verum nobis aliud videtur. Promitti-
 tur divinitus *comm. V.* iustitia & salus DEI tribus vicibus &
 quasi periodis, ita, ut *comm. V.* ejus ortus, *VI,* stabilitas, *VIII,*
 propagatio ad posteros indicetur; & quidem producenda & do-
 nanda tam per brachia DEI gentes iudicatura, (quae verba
Augustinus ingeniose ad filium DEI & Spiritum S. refert, adde
Esa. II, 4. IV, 4. Job. V, 22. XVI, 8.) quam per brachium in-
 singulari. Hoc promisso freta Ecclesia DEI, illius complemen-
 tum sancto desiderio anhelat, & Christum tanquam brachium
 DEI, ut sibi succurrat, commemoratis praeteritis beneficiis, &
 praesenti ejus potentia, serio implorat; animumque divinitus
 certa spe injecta confirmari sibi experitur *comm. XI.* Quam apo-
 strophem, nisi ad personam divinam dirigas, insolentiosem esse,
 nec alibi occurrere, ipse fatetur *Vitringa.* Mox eadem perso-
 na divina, ad quam fideles animum erexerant, respondet suo-
 rum desideriis: & reprehenso metu ad potentiam DEI, creatio-
 nis, liberationumque praecedentium operibus declaratam, ac
 decretum DEI gratiosum erga pios Deoque gloriosum eos re-
 vocat *comm. XII--XVI.* Accedit *Cap. LII, 10. & LIII, 1.* ad
 ipsum

ipsum Filium DEI salutis nostrae & pararium & praeconem quam commodissime referri. Quamvis enim Filius DEI nostra carne tunc nondum fuerit indutus, bene tamen & manus & brachii divini appellatio quadrabit, vel *μεταφορικῶς*, vel respectu simul habito ad decretum de incarnatione in tempore futura.

Obiter observamus, *Quintiliano, sequestrum, & mediam litam manum & gentilem interpretem*, tanquam pariter significantia, jungi *Lib. XII. cap. 3.*

§. XIX. Atque ita facilius erit verborum sequentium explanatio: *bellum Domino fore in Amalek*. Disputant inter se Judaei, qui fiat, quod *h. l. DEUS* excidium Amalekitarum sibi ipsi: *Deuter. XXV, 19.* Israelitis tribuat. *CABBALISTAE* ajunt. *DEUM benedictum nullum hic in mundo Regem aut Principem destruere, nisi destructa ante (i. e. amota) tutela aut protectore, quem in coelis habet. Itaque & Israelitis bellum fuisse adversus istos hostes gerendum, & DEUM polliceri, sub tracturum se favorem suum Principi coelesti, ne concurrere posset cum eo, quem in terra defendebat.* ALII ante Hierosolyma destructa putant Israelitarum fuisse injuriam ulcisci: sed destructis illis solum DEUM vindicaturum, excisisque Amalekitis finem bello impositurum. vid. *Menasse Ben Israel in Exod. Quaest. XXV.* Quanto simplicius omnis illa ultio adscribitur ei, qui istam sibi unice vindicat *Deuter. XXXII, 35.* five illam ipse per se nullius adhibita opera, five per ministros persequatur? Neque enim est verendum, ne hostes fidelium malitiam crudelitatemque suam impune ferant. Est Manus in arcana DEI sede solioque, extenta suis protegendis, evertendisque hostibus. Accedit, Israelitis non fuisse concessum, ut sponte sua in Amaleckitas, quamvis execratos devotosque, irent: verum divinis demum auspiciis bellum hoc multo ante indictum fuisse suscipiendum. Quod comparatis *Exod. XVII, 14.* & *I. Sam. XV, 2. 3.* liquabit. Vnde in theocratia populi, bellum hoc proprie erat bellum Domini in Amalek.

§. XX. Ecquid vero est, quod tanta severitate DEUS in hunc populum utitur? nam Aegyptii quidem multo majoribus malis diutissime pertinacissimeque eosdem Israelitas afflixerant:

fixerant: Deique liberantis imperium proterve spreverant. Neque tamen tanta in eos accensa fuit indignatio, neque totus populus excidio devotus; sed potius quodammodo benevolentiae Hebraeorum commendatus *Deuter. XXIII, 7*. Ast constant DEO justitiae suae rationes sapientissimae, integerrimaeque, etsi nobis sint inexplicabiles. Veruntamen hic adorare licet quaedam pedum divinorum vestigia ostensa *Deut. XXV, 17. 18*. Detertere eos a laesione populi sine ullius noxa peregrinantis debuerant edita divinitus in Aegyptios exempla; detertere DEI O. M. ostensa multis modis in hoc populo praesentia; metusque justus, ne in stimulum calcitrarent. Atqui plus apud eos poterat animus praedurus, sine ulla DEI hominumque reverentia jus in armis gerens: quod impium injustumque facinus & tenebram Israelitarum fidem, quos confirmare potius, quam lacescere & turbare decuerat, in discrimen poterat adducere, aliosque accolas ad invadendum pariter populum vexandumque invitare. Solent autem magnorum facinorum initia plerumque gravioribus justitiae divinae poenis reprimi, ut vel metu hoc opposito alii a similibus flagitiis deterreantur, qui amore boni vel pietate in DEum duci noluerunt. Ita Cain fratricida & ejectione ex piorum coetu, & terrore, tremoreque, & vago fugitivoque vivendi genere omnibus documento fuit irae divinae; quod quidem ipso mortis supplicio gravius erat. Ita qui Veneris nefas publice in prisca simplicitate admittere non erubuerant Sodomitae, coelesti igne deleti: Core, Dathan & Abiron per invidiam in Mosen & Aaronem legum divinarum imperio refragantes, absorpti terra dehiscente. Quin & sub initia Ecclesiae N. T. mendax Ananiae Sapphiraque simulatio morte repentina, Elymaeque improbitas initiis praedicationis Apostolicae impudenter obstitens, caecitate immissa divinitus vindicata fuit. Eadem ergo ratione severa in Amalekitas sententia ostendit DEUS omnibus fidelium suorum hostibus, quam graves sibi poenas ab irata DEI manu ipsimet arcefferent.

§. XXI. Scilicet in Amalekitis veluti in speculo lucere debebat, quid tandem omnibus DEI hostibus futurum esset.
Per-

Perpetua enim est, fibique semper similis sancta illa sapiensque iustitiae divinae regula: quae iisdem scelerum vestigiis insistentes dignis suppliciis vivos mortuosque mactare novit. Huc manu quasi ducit, illud insigni nota a praecedentibus ἐμφανῶς distinctum: מרר רר. Nam haec loquendi formula singulas aetates complectitur; non tantum, quum vox haec geminatur simpliciter, sed etiam interpolito ר. *Exod. III, 15. Deut. XXXII, 7. Ps. C, 5. Esa. LX, 15. &c.* Quod si referas hoc ad solos Amalekitas, plures sane generationes praeterierunt saepius, quum nullum esset bellum divino jussu in Amalekitas susceptum: quin & delicto semel Amalekitarum nomine, ultra in eos in hoc terrarum orbe animadverti non poterat. Sin hoc typo exemploque ardorem iramque DEI in hostes suos generatim designari perspexerimus, certam in omnes inimicos, ut interdu seram, vindictam DEI non sine admiratione divinae veritatis & iustitiae per omnes seculorum tractus venerabimur. Frequens enim est Spiritui S. ab uno insigni divino beneficio animos suorum elevare ad plura & majora, ut non tantum frui praesentibus, sed etiam de futuro in viis Domini certam ejus opem sperare planeque huic confidere assuescant. Ita *Exod. XV, 17.* non tantum deductionem in Cananaeam spondet populo Divinus Moses, sed & sedem stabilem commemorat, quam sibi ipse paraverit Iehova: sanctuarium, quod DEI ipsius manus firmissime constituerint. Altius haec respicere jubent, quam ad tabernaculum in Arabiae solitudine, aut ad templum a Solomone Hierosolymis exstructum. Utrumque enim humana manu erectum est, quamvis ad DEI nutum & praescriptum. Referuntur igitur ad templum DEI mysticum sive veram Ecclesiam DEI, in qua DEus veluti in templo suo habitare, agereque decrevit, *Levit. XXVI, 12. II. Cor. VI, 16.* per quam Christus tanquam per tabernaculum perfectius transiit in adytum coeleste *Ebr. IX, II. XI, 10. & 16.* Quin ad ipsam hanc gloriosam de Amalekitis victoriam respicere videntur *ἐννύμια* fidelium felicitatem regni Christi celebrantium. *v.g. Ps. CXVIII, 15. Addimus Es. XXV, 10.*
quando

quando requieverit manus Domini in hoc monte, tunc Moab triturbabitur in loco suo, quem ceperat, eoqve se plurimum iactaverat. Nam ob similitudinem morum & eventuum hostes DEI modo Amalekitarum, modo Moabitarum, Idumaeorum, Aegyptiorum, Amorrhaeorum nominibus venire satis notum est. Compara cum *h. l.* alteroqve *Esaiano Esa. LXIII, 1. Apoc. XI, 8. Ezech. XVI, 3. &c.*

§. XXII. Est nimirum populo DEI sius Amalek מרר דר singulis generationibus, qui fideles vel univrsim, vel singulim carpitimqve; fraude, insidiis, vi aperta; clam palamve; infectatur, tentat, invadit, vexat: quandocunqve & quousqve DEUS permiserit.

Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt:

Et, quocum certet, mens pia semper habet.

Vetat hoc securos esse: si velimus esse tuti & incolumes. Neqve tamen est, quod ingruente periculo concidamus animis. Est manus in arcano divinae majestatis pro suis extensa ad DEUM, eiqve causam illorum, infirmitatem atqve discrimina commendans: manus ad nos extensa, porrectoqve in verbo gratiae scepro, de praesentia, tutela auxilioqve suo certiores faciens; protensa in hostes, eosqve certis finibus includens, ultra quos ruere & evagari nequeant: tandem vero dejiciens de statu, & debilitatos fractosqve suis suorumqve pedibus subjiciens. *Rom. XVI. 20. Malach. III, 21* Quam ad fiduciam tanto alacrius erigitur animus Christianus, quanto gloriosius Christum cognoscit occupasse regnum suum, & consedisse ad dextram majestatis in excelsis, supra omnem principatum, dignitatem, potentiam & dominatum, omneqve nomen, quod sine in hoc seculo, sive in futuro nuncupetur. *Ephes. I, 21.* Quamvis enim ista hostium caterva non uno statim impetu superetur, sed aciem instauret identidem; quin & interdum quadantenus praevalere videatur: certe tamen in medio quoqve hostium furore *Christus regnat, vincit, imperat. Ps. CX, 2. seqq.* Nos modo & armaturam induamus spiritualem, cincti divina veritate,

tate, tecti iustitiae thorace, calceati promptitudine evangelii pacis, apprehenso, quin & si arte aut ferocia adversariorum manibus excussus fuerit, iterum arrepto firmiterque retento scuto fidei, galea salutis & gladio Spiritus verbo DEI; non neglectus, assiduis ad DEum precibus, votisque, & vigili pectoris nostri conteserationisque sanctae custodia *Ephes. VI, 13 — 18.* O quam bene ageretur cum rebus Ecclesiae, si ex praecepto divino *Thren. III, 41.* pectora cum manibus per fidem & spem omnes elevent ad DEum, sibi & humanis praesidiis diffidentes omnia in Christo, ejusque manu reposita haberent! Sed nec labascentes statim deserit DEus; modo remissas manus iterum confirmemus, & genua titubantia fulciamus, novis viribus ex sancta requiete in petra salutis repetitis: advocataque & admissa aliorum fraterna fidelique opera. Qui fidelium *συνασπισμός* & DEO gratus est, & ex usu populi DEI, *Cant. VI, 4.* Ita Christus fit vexillum nostrum, dum fit altare, & per se victimam pro nobis oblatam sanctificat nos, atque ab hostibus defendit. Ut Samuel Mitzpae *1. Sam. VII, 5. seqq.* oblato agno cum precibus depulit Palaestinos, vicitque, non sine praesentissima & miraculosa DEI ope. Ita *praecepta DEI* (*1. Joh. III, 23.*) proposita, quibus ad sacram hanc militiam excitamur atque exercemur, non sunt ingrata aut molesta; ac si oneri nostro data essent, non commodo. Nam *quicquid genitum est ex DEO*, adeoque vere divinae originis est *Joh. 1, 13.* vincit & in praesenti, & continua actione, si vel maxime pugna duret per hanc vitam, *mundum* tam intra nos, *II, 15 — 17.* quam extra nos positum, diabolus scilicet incredulosque omnes, sive Judaei fuerint, sive gentiles; ne nos a DEO ejusque gratia abducant. *Et haec est victoria illa, quae mundum jam vicit, ipsa fides nostra.* Dum enim inter tot contradictiones Iudaeorum & gentilium, adversitatesque & infirmitates varias, tamen credidimus in Christum, majus hoc ipso nobis divinitus datum esse robur, cognitum est, quam in mundo inest, ejusque furore & pertinacia. *Quis est, qui vincat mundum, nisi ille fuerit, qui credit, Jesum esse Filium illum DEI?* Nam hic credens, & novit victoriam Christi, sibi & de ea gratulatur; & Christi robur suum esse novit, sibi & applicat, *1. Joh. V, 4. & 5.* donec compleatur id, quod scriptum est: *absorpta est mors in victoriam. Ubi est, quaeso, mors, aculeus tuus? ubinam vestra, inferi, victoria? DEO vero sit gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.*

1. Cor. XV, 54. seqq.

BEATI OMNES, QUI CONFIDUNT IN EO!



D

Harum

Harum paginarum Defensori,
Ingenii & doctrinae laude florentissimo,
PRAESES S. P. D.


Quoniam post Pascha nuperum de legenda ad disputandum materie Tecum agerem, nosti, haec quae evolvinus Mosaeica placuisse, quod tempus anniverfariae triumphorum Christi ascendentis memoriae proximum huic actui destinabamus. Etenim in animo erat, manum Domini mediatricem, in V. acque ac N. T. pro suis deprecantem propugnantemque paullo curatius contemplari: varias belli divini, in hostes ecclesiae Christi, rationes, & quam apte omnes per divinam sapientiam ad regni Christi spiritualis naturam attemperatae sunt, expendere; de caute interpretandis comminationibus in hostes Christi propheticis, ne a divino consilio imprudentes aberremus, diligentius admonere; &c. Neque enim dubium est, lapsum esse in hoc genere (ut vno in exemplo plura recorderis) insignem virum, *Philippum Mornacum*; quum militari potius ardore, quam ex recta Oraculorum divinorum intelligentia, veraeque prudentiae regulis, in *dedic. Myst. Iniqu.* Iacobum I. magnae Britanniae Regem ex apocalypticis effatis ad bellum Latio inferendum incenderet, seque illi comitem polliceretur: haudquaquam animadvertens, divino mandato Apoc. XVIII, 6. 7. exstanti a fidelibus satisfieri, si vindictam Dei vel ab ipso Deo, vel ab aliis a vera religione alienis, ut olim Babylonis Chaldaicae excidium a Persis, vel a justis fidelium defensoribus, sed a mystica Babylone laceffitis prius atque ad justa & necessaria arma compulsis, exercitam, religiose approbent & collaudent. Compara *Ier. L, 29.* Sed nec per istos dies perficere inceptam telam, neque adhuc illa omnia explicare licuit; me per negotiorum incidentium molem, te per invaletudinem impedito. Restabat hoc unum, ut nunc daremus, quod specimini ingenii, profectuumque tuorum publico sufficeret. Illud ut DEUS, *amplissimique Patroni* approbent, Tibique ad aliquam in luce clarissimarum, ad quas contendis, Academiatarum commendationem, perpetuumque ad tenendos verae pietatis, doctrinae, modestiae & laudis cursus incitamentum inserviat, ex animo volo. Ita enim, & Tibi vitae conscientiaeque ratio recte constabit; & habebit, quod de Te gaudeat, patria coetusque Christi. Vale & bene age in Domino! Scrib. Gedani, d. XXI, Iun.

CLO IO CC XXXVI.













8.






8.






8.







ELLUM DOMINI IN AMALEK.

15

precatione plurimum contulerint adjumenti, non
Itaque Moses haec describens provide monere
potuit, salutarem eventum hunc non manibus
illarum erectioni, sed fidei esse adscribendum:
promissa populo huic, ex quo IMMANUEL
jusque majoribus facta oculo irretorto intuens
salutis praesidia a DEO expetat & consequatur.

"*ultra vires hominis esse, ait, per aliquot horas
s habere sine intervallo, multo minus per totam
ego divinae fuerit, & elevandis manibus, & ora-
DEUM per integrum diem suffecisse Mosen,
tratae: cui & ipsa de Amalekitis victoria debe-
pareat illud quod exstat Hebr. XI, 34. Veteres
evasisse in bello, per fidem castra evertisse hostium,
quod MISCHNICI Tract. Rosch Hascbana cap. 3.*

*an manus Mosis erant causa victoriae nec ne?
" Scripturam docere, quod toto tempore, quo
iciebant coelum, ac serviebant sincero corde Patri
lebant; sin minus, cadebant. Nam & haec sen-
c extra seriem narrationis historicae ponit, ge-
rpretatur, quod, nisi voce יהיה in sensu futu-
pta, fieri vix potest. Iustinus Martyr Dial. cum*

*Mosen vota DEO fecisse expansis ambabus ma-
imitatum crucis; quod si labaret haec figura
s, mox vincebatur populus: si in eodem perma-
malek vincebatur, cruce vires addente victori-
propter preces Mosis superior evadebat populus,
I IESUS versabatur in prima acie, & Vates si-
praesentabat. Sed pollicem hic Iustino premere
Neque enim expansis sed elevatis manibus Mo-
atus esse legitur: פָּרַשׁ הַיָּדַיִם non פָּרַשׁ*

Eventus proelii fuit Israelitarum de Amalekitis
prima fronte possit, minus plenam fuisse victo-
ses debilitandi verbo vtatur, non internecionis
aut

4.
28.5.
21.
2.
2.
3.
31.
36.
3.